

## **ACTA TRIBUNALIIUM S. SEDIS**

### **Romanae Rotae Tribunal**

Sententia rotalis definitiva, die 27 februarii a. 1992 prolata, in causa Bonaërensi, coram ANTONIO STANKIEWICZ, Ponente.

Matrimonium de quo sententia rotalis disceptat, accusatum est nullitatis ab actore coram Tribunali primae instantiae B., die 1 augusti a. 1976, ob exclusum bonum sacramenti ex parte mulieris conventae, sed in sessione pro dubii concordatione addita sunt duo nova capita, videlicet «anomalia psychica» (ita formulatum erat caput in prima instantia, vigente adhuc Codice Pio-Benedictino) actoris et metus conventae incusus ab ipso actore.

Tribunal primae instantiae, sententia die 20 aprilis a. 1983 data, affirmative respondit ad caput anomaliae psychicae actoris et ad metum conventae incussum, negative autem ad assertam exclusionem boni sacramenti in parte conventa.

Causa ad Tribunal Rotae Romanae delata est ex appellatione Defensoris vinculi, sed Turnus rotalis in processu breviori sententiam affirmativam primi gradus ratam non habuit, et causam ipsam ad ordinarium examen secundi gradus remisit.

Qua decisione fractus ac demissus actor, a prosecutione causae recessit.

Sed pars conventa diligentior facta causae re-assumptionem expetivit. In suppletiva instructione peritus ex officio deputatus est, qui relationem super actis causae confecit.

Post causae disceptationem perventum est tandem ad sententiam, cuius motiva referuntur solummodo quoad incapacitatem actoris assumendi essentielles matrimonii obligationes.

ADNOTATIONES DE MOTIVIS IN IURE ET IN FACTO QUOAD  
INCAPACITATEM ASSUMENDI ESSENTIALES MATRIMONII  
OBLIGATIONES OB ANOMALIAM PSYCHICAM

1. In causis ad matrimonii nullitatem declarandam pertinentibus, ad normam c. 1677, § 3 formula dubii a Iudice statuenda, cui in sententia respondendum sit (cc. 1513, § 2; 1611, n. 1), non tantum quaerat oportet «an constet de nullitate matrimonii in casu», sed determinare etiam debet quo capite vel quibus capitibus nuptiarum validitas impugnetur.

Praetermisso igitur ordine iudiciario apud H.A.T. hucusque servato, quo explicite cavetur de usu formulae dubii in causis matrimonialibus contingenti tantum petito (art. 77, § 2 Norm.; cf. c. 1402)<sup>1</sup>, seu expetito modo declarationem nullitatis matrimonii, in huiusmodi causis apud omnia Tribunalia inferiora agitatis formula dubii semper complecti debet etiam causam petendi seu caput nullitatis definitum vel terminis ad ius substantiale spectantibus, vel saltem admissis a constanti et communi usu seu praxi N.A.T., hoc est quod attinet ad impedimenta dirimentia, ad defectus vel vitia consensus atque ad defectum formae canonicae.

Quare in praesentiarum, hoc est post promulga-

---

<sup>1</sup> Sed art. 62, § 2 *Schematis* Norm. RR a. 1992 cavet de formula dubii in causis nullitatis matrimonii «additis capite vel capitibus», hoc est congruenter praescripto c. 1677, § 3.

tionem novi Codicis, non amplius sustineri potest usus sequendi adhuc veterem praxim, quae apud Tribunalia ecclesiastica vigente Codice Pio-Benedictino invaluit, definiendi nempe terminis «metaiuridicis» psychicam incapacitatem naturalem ad matrimonium, ut puta «ob immaturitatem»<sup>2</sup>, «ob psychopathiam», «ob homosexualitatem», et ita porro<sup>3</sup>; vel, sicut nostro in casu obvenit, «ob anomaliam psychicam».

2. At postquam Tribunal primae instantiae sub termine «anomaliae psychicae» alterutrius partis nullitatem matrimonii declarare censuit, in gradu appellationis, ubi obiectum litis contestationis in eo tantum versari potest, utrum prior sententia vel confirmetur vel reformetur sive ex toto sive ex parte (c. 1639, § 1), et salva tantum facultate admittendi tamquam in prima instantia novum caput nullitatis (can. 1683), Iudices Tribunalis appellationis tenentur quoque significationem iuridicam causae petendi ita definitae interpretari eique «nomen iuris» proprium tribuere.

Etenim interpretatio prioris sententiae comprehendit non solum congruentiam partis dispositivae cum petitione iudiciali, cum formula dubii (can. 1611, n. 1) atque cum motivis in iure et in facto, quibus eadem pars dispositiva innititur (cc. 1611, n. 3; 1612, § 3), verum etiam propriam significationem praecepti

---

<sup>2</sup> Ita ex. gr. c. PINTO, sent. 18 decembris 1984, n. 2; in *L'incapacitas (c. 1095) nelle «sententiae selectae coram Pinto»*, Città del Vaticano 1988, 300: «Nos hodie causam definitive solvere debemus responso dato dubio die 30 martii a. 1984 sic concordato: «An constet de matrimonii nullitate, in casu: a) ob immaturitatem psychologicam mulieris conventae, vel, quatenus negative; b) ob condicionem a viro appositam et non verificatam»».

<sup>3</sup> Cf. c. RAAD, sent. 14 aprilis 1975, n. 21; RRD vol. LXVII, 260: «In hac «silva» terminologiae ac notionum...».

iurisdictionalis quod in dispositivo sententiae continetur.

Agitur sane de interpretatione authentica sententiae impugnatae, facta a Iudicibus Tribunalis superioris in exercitio eiusdem muneris iudicandi<sup>4</sup>, vi cuius efficacia iuridica praecepti iurisdictionalis, completentis pressius definitam causam petendi, tum partes in causa devincit, tum novae introductioni causae in iudicium ex capite ita determinato praeiudicium affert iuxta illud «ne bis in idem»<sup>5</sup>.

3. Sed anceps est significatio «anomaliae» in relatione ad accuratam definitionem capitis nullitatis in ambitu naturalis incapacitatis psychicae, de qua c. 1095, nn. 1-3 Codicis nunc vigentis cavet.

Iamvero anomalia indicat deflectionem seu deviationem a normalitate et distinguitur a processu morbozo, etiamsi signa clinica et symptomata utrique similia esse possint. Praeterea interdum quis loquitur etiam de personalitatis anomalia, prout in sic dictis neurosibus characteris, in quibus «tales personalitates collocantur in peripheria normalis et communis circuli personalitatis»<sup>6</sup>.

Attamen apud quasdam vetustiores distributio-

---

<sup>4</sup> Cf. E. BETTI, *Interpretazione della legge e degli atti giuridici. Teoria generale e dogmatica*, Milano 1971<sup>2</sup>, 374.

<sup>5</sup> S.T. SIGNATURAE APOSTOLICAE, *Declaratio de foro competentis in causa nullitatis matrimonii post sententiam negativam in prima instantia latam*, n. 2, d. 3 iunii 1989, in *Communicationes* 21 (1989) 117: «partes nequeunt eandem litem iterum coram eodem vel coram alio tribunali primi iurisdictionis gradus introducere, etenim: "ne bis in idem"».

<sup>6</sup> Cf. s. v. *Anomaly*, in R.J. CAMPBELL, *Psychiatric Dictionary*, New York - Oxford 1981<sup>5</sup>, 38: «The so-called *character neuroses* are of that order, in that the personalities are in the periphery of the normal or average personality circle».

nes in classes perturbationum psychicarum nomine «anomaliae psychicae» intelliguntur tum retardationes evolutionis psychicae, v. gr. idiotia, imbecillitas, tum deviationes in evolutione vitae psychicae<sup>7</sup>.

Immo recentiores quoque descriptiones semiologicae functionum vitae psychicae operantur tribus in planis seu dimensionibus, videlicet «in plano anomaliarum conductae socialis et defectus adaptationum in agendi ratione»; «in plano anomaliarum actualis vitae psychicae», hoc est «per experientias morbosas (confusio, experientiae delirantes et hallucinatoriae, melancholia, etc.)», atque in dimensione anomaliarum personalitatis, hoc est «in eadem mensura qua perturbationes actualis vitae psychicae desunt vel modo parvi momenti notantur»<sup>8</sup>.

4. Itemque in ambitu psychologiae et psichiatriae forensis admitti solet distinctio inter tractus constituentes simplices anomalias psychicas et infirmitates mentales.

Etenim: «anomaliae sunt psychici modi existentiae, qui puram et simplicem deviationem seu deflectionem a norma repraesentant», videlicet «variabilitatem particulariter auctam, raram et insolitam», etiam si «qualificatio anomaliae personalitatis (vel conductae seu agendi rationis) magis iudicium morale, culturale et sociale reflectat, quam aestimationem proprie psichiatricam et scientificam contineat».

---

<sup>7</sup> Cf. G. ANGIOLELLA a. 1899; apud U. FORNARI, *Psicopatologia e psichiatria forense*, Torino 1989, 548.

<sup>8</sup> H. HY-P. BERNARD-CH. BRISSET, *Manuale di psichiatria* (tr. it.), Milano 1979, 93-94: (1) «Sul piano delle anomalie delle condotte sociali e dei disadattamenti del comportamento»; (2) «Sul piano delle anomalie della vita psichica attuale»; (3) «Sul piano delle anomalie della personalità ... nella misura in cui le turbe della vita psichica attuale sono assenti o poco importanti».

Sed praetermisso quoque memorato superius iudicio valoris, infirmitates non considerantur «notae typicae alicuius personae, adspectus eius characteris, expressiones existentiae psychicae, quae ad variabilitates individuales redeunt; nec anomaliae agendi rationis per se et solae signum infirmitatis esse possunt»<sup>9</sup>.

Anomalia enim assumit valorem infirmitatis propter substratum morbosum seu pathologicum, quod ei subiacet.

Ita verbi gratia «anomalia characteris, quam possumus appellare psychopathiam iuxta veterem conceptionem Schneiderianam, ad postumos cerebropathiae reducenda est, vel ad hypotheticam alterationem substrati neuro-biologici thymismi vel emotionalitatis, praesentium in subiecto iam ab infantia, aut vero ad epilepsiam temporaneam vel ad exitus psychoseos subclinicae», quia tunc tantum «characteropathia assumere potest “valorem infirmitatis”»<sup>10</sup>.

<sup>9</sup> G.L. PONTI, *Perizia sull'imputabilità*, in AA.Vv., *Trattato di psicologia giudiziaria*, Milano 1987, 641-643: «Le anomalie sono modi di essere psichici che rappresentano una pura e semplice deviazione dalla norma. Anomalia è il contrario di normalità, e rappresenta una “variabile” particolarmente accentuata, rara od eccezionale». «Ne consegue che la qualificazione di anomalia della personalità (o della condotta) rispecchia più un giudizio morale, culturale e sociale che non una valutazione propriamente psichiatrica e scientifica». «Prescindendo comunque dai giudizi di valore, non saranno mai considerabili come infermità le connotazioni tipiche di una persona, gli aspetti del carattere, le espressioni del suo essere psichico che rientrano fra le variabili individuali; né le anomalie del comportamento potranno di per sé sole essere indice di infermità».

<sup>10</sup> *Ibid.*, 643: «Così, ad esempio, diversa è la situazione se una anomalia del carattere (che possiamo qualificare con psicopatia, secondo la vecchia definizione di Schneider), è da ricondursi ai postumi di una cerebropatia, o ad una ipotizzabile alterazione

Nihilosecius hac in re periculum ambiguitatis et abusus notatur. Ad rem enim monemur quod «conturbationes characteris reapse constituunt alias typicas condiciones, in quibus faciliter abusus et aequivocum irrepunt, ubi quoque, prout si agatur de infirmitatibus transitoriis, terminorum technicorum usus fieri nequit unica ratio loquendi ad agnoscendas infirmitates (definiendo verbi gratia individuum uti “personalitas psychopathica” vel “characteropathicus”), ubi agitur de simplici tantum “variabilitate individuali”, sensu superius descripto»<sup>11</sup>.

5. Notum est autem tempore recognitionis legis matrimonialis in disceptationibus ad rem habitis saepe inchoatam esse mentionem «anomaliae» ad indicandam causam incapacitatis quoad essentialia coniugii onera.

Multum sane disceptabatur de incapacitate assumendi onera essentialia matrimonii, prorumpente ex

---

del substrato neuro-biologico del timismo o dell'emotività presenti fin dall'infanzia, ovvero ad una epilessia temporale o agli esiti di una psicosi sub-clinica. In tal caso la caratteropatìa può assumere “valore di malattia”, che costituisce altro parametro per identificare ciò che la legge chiama infermità».

<sup>11</sup> *Ibid.*, 653-654: «[Meritano una particolare attenzione anche i disturbi (o anomalie) del carattere e della personalità, sia per l'elevata frequenza con cui essi vengono in gioco nei comportamenti criminali, sia perché anch'essi si prestano ad ambiguità nell'apprezzamento del loro eventuale significato di malattia]. I disturbi del carattere costituiscono infatti altre tipiche condizioni ove è facile l'abuso e l'equivoco, e dove come per le infermità transitorie, l'impiego di termini tecnici non deve essere un espediente di linguaggio per far passare quale malattia (definendo, ad esempio, un individuo quale “personalità psicopatica” o “caratteropatico”) ciò che è invece “variabile individuale”, nel senso già innanzi illustrato».

«gravi anomalia psychosexuali»<sup>12</sup>, ex «anomaliis ordinis psychologici personalitatem anormalem parientibus»<sup>13</sup>, seu efficaciam exercente propter exstantem «gravem anomaliā sexuale», «psycho-sexuale»<sup>14</sup>, vel ob «anomaliā psychosomaticam»<sup>15</sup>, ob «indolis gravissimam distorsionem», ob «gravem anomaliā»<sup>16</sup>, «praesertim psychosexuale» vel ob «gravem anomaliā psychicam»<sup>17</sup>, donec propositae formulae profluerunt in hanc unam: «ob causas naturae psychicae», quae in normam nunc vigentem transiit (c. 1095, n. 3).

Attamen sicut «anomalia psychica», ita et «causa naturae psychicae», caput nullitatis minime significat, sed eiusdem capituli determinationem causalem, nisi quis ipsam incapacitatem assumendi essentialia coniugii onera vocaret anomaliā vel causam naturae psychicae consensum invalidantem. Re tamen, perspecta huius normae formulatione, relatio causalis inspicere debet inter anomaliā vel causam naturae psychicae et incapacitatem assumendi essentialia matrimonii obligationes. Nam praescriptum c. 1095, n. 3 in specificanda incapacitate quoad coniugii onera adhibet methodum psychologico-normativam, quae exigit tum existentiam causae naturae psychicae tum eiusdem causae influxum destruentem capacitatem assumendi essentialia matrimonii obligationes.

<sup>12</sup> *Communicationes* 3 (1971) 77.

<sup>13</sup> *Communicationes* 7 (1975) 50.

<sup>14</sup> *Ibid.*, 51.

<sup>15</sup> *Ibid.*, 52.

<sup>16</sup> *Communicationes* 9 (1977) 370.

<sup>17</sup> *Ibid.*, 370-371. Item *Communicationes* 19 (1983) 231.

Notandum est Schema Codicis a. 1982 adhuc usum esse formula: «... qui ob gravem anomaliā psychicā obligationes matrimonii essentialia assumere nequeunt» (c. 1095, 3<sup>o</sup>).



6. Sunt tamen qui putent «causam naturae psychicae» minime complecti aliquem saltem pathologiae psychicae gradum, immo ne quidem anomaliae psychicae aliquam speciem. Namque «illae causae quae dicuntur “naturae psychicae” non possunt ita intelligi, ut in iisdem necessario inveniatur aut identificentur cum anomalia psychica; etenim, in realitate humana saepe adest elementum morale, idest mos ethicus, habitus radicitus personae inhaerens, conditio existentialis graviter impellens»<sup>18</sup>.

Etiamsi talis opinio inniti videatur propria significatione formulae legalis verborum «causa naturae psychicae» (c. 17), in dimensione tamen normalitatis psychologicae operari potest tantum capacitas naturalis quoad onera coniugii, minime vero incapacitas; secus matrimonium prohibendum esset omnibus in normali conditione psychica in hoc mundo versantibus. Idque eo vel magis, cum iuxta doctrinam communem incapacitas haec ex ipso iure naturali<sup>19</sup> matrimonium reddat invalidum. Causa autem naturae psychicae inter limites normalitatis haud necessario collocari debet, quia, sicut psychiatria forensis non docet, hac in re sermo fieri potest etiam de «praeexsistentia morbo-sa naturae psychicae»<sup>20</sup>.

---

<sup>18</sup> M.F. POMPEDDA, *De incapacitate adsumendi obligationes matrimonii essentielles. Potissimum iuxta Rotalem iurisprudentiam*, in *Periodica* 75 (1986) 149-150; cf. etiam F.G. MORRISSEY, *L'évolution du texte des canons 1055 et 1095*, in *Studia Canonica* 19 (1985) 27.

<sup>19</sup> *Communicationes* 15 (1983) 231.

<sup>20</sup> G. GIUSTI-F. FERRACUTI, *Il nesso di causalità in psichiatria forense*, in AA.Vv., *Psichiatria forense generale e penale*, Milano 1990, 384: «[In conclusione, i criteri cui l'indagine e la valutazione potrebbero riferirsi in questo ambito a parer nostro sono i seguenti: a) il dato anamnestico dovrebbe essere sicuro, nel senso di

Ceterum non est pratermittendum peritorum in re psychiatrica vel psychologica opiniones de conceptu normalitatis psychicae, cui psychopathologia contraponitur, variis inniti criteriis.

Ita verbi gratia normalitati tribuitur «capacitas normalis functionis autonomae atque realis efficaci-sque adaptationis in determinato contextu sociali, prout etiam subiectivus sensus satisfactionis necnon aptitudo semetipsum perficiendi suasque potentialitates conservandi et deducendi in praxim», dum «psychopathologia aestimatur ac distinguitur carentiis intra has peculiare proprietates»<sup>21</sup>.

7. Quibus perpensis, incongruum videtur, immo contrarium anthropologiae christianae, si incapacitas naturalis quoad onera coniugii essentialia, in normam canonicam digesta (c. 1095, n. 3), in dimensione normalitatis psychologicae ex ipso iure naturali vim suam irritantem consensum matrimonialem exserere deberet, seposita nempe qualibet relatione ad psychopathologiam.

---

escludere o di affermare] una pre-esistenza morbosa di natura psichica; [b) la diagnosi clinica non dovrebbe lasciare dubbi interpretativi, ma dovrebbe essere ottenuta con tutti i mezzi di cui disponiamo: dai tests psicologici alla TAC e alla RMN, se necessario, e dopo adeguata terapia... g) le terapie attuali sono in grado di ridurre a termini accettabili danni psichici anche gravi; h) è perciò necessaria la massima cautela nell'affermare l'inemendabilità o la permanenza di un danno psichico»].

<sup>21</sup> A. FRANZESE, *Il concetto di normalità*, in AA.VV., *Psichiatria forense speciale*, Milano 1990, 40-41: «[Tra i diversi criteri usati per caratterizzare la normalità sono:] la capacità di funzionamento autonomo e di adattamento reale ed efficace in un certo contesto sociale, un soggettivo senso di soddisfazione e l'abilità ad autorealizzarsi e a mantenere e mettere in pratica le proprie potenzialità. La psicopatologia è valutata e caratterizzata da carenze all'interno di queste caratteristiche».

Dimensio enim normalitatis, in categoriam responsabilitatis moralis ingrediens, «obstacula quidem praevalenter conscia affert ad eligendum et ad vivendum susceptum promissum vocationale», sed «officium superandi haec obstacula ipsi naturae humanae inhaeret, ideoque ad amoris donum pertinet»<sup>22</sup>.

Quin immo, ipsa dimensio inconscii, etsi «“difficiliorem” reddere potest electionem et adimpletionem promissi vocationalis», sed «ipsa non tangit “validitatem” promissi antea suscepti», quia «non aufert libertatem effectivam subiecti, sed limitat tantum numerum et amplitudinem possibilium optionum quoad agendi rationes eligendas ac ducendas». Ceterum «influxus negativus elementorum emotionalium et subconsciorum, qui heic determinans est, minui potest, si praebeantur idonea auxilia eaque adhibeantur»<sup>23</sup>.

Quare dimensio psychopathologiae tantum «fieri potest elementum quod praecise validitatem promissi tangit»<sup>24</sup>, sed hoc verificatur «in formis gravioribus

---

<sup>22</sup> L.M. RULLA, *Antropologia della vocazione cristiana*, vol. I, *Basi interdisciplinari*, Casale Monferrato 1985, 141: «[La prima dimensione] pone degli ostacoli prevalentemente *consci* a scegliere e a vivere l'impegno vocazionale preso. [Come si è visto], il dover superare detti ostacoli è inerente alla natura umana e perciò è parte del dono di amore [per il “regno dei cieli” che rende prezioso il scegliere ed il vivere la vocazione]».

<sup>23</sup> *Ibid.*, 141-142: «[La seconda dimensione] può rendere più “difficile” lo scegliere ed il vivere l'impegno vocazionale; però essa non tocca la “validità” dell'impegno antecedentemente preso. [Infatti, come si è visto], essa non toglie la libertà effettiva del soggetto, ma solamente limita il numero, l'ampiezza di alternative possibili rispetto ai comportamenti da scegliere e da vivere. D'altra parte, l'influenza negativa delle componenti emotivo-inconscie, che qui è determinante, può essere ridotta se gli aiuti appropriati sono offerti e usati».

<sup>24</sup> *Ibid.*, 142: «[Infine, la terza dimensione] può essere un elemento che decisamente tocca la validità dell'impegno preso».

pathologiae», in quibus «notatur praesentia alicuius gradus inordinationis in structura ipsius personae»<sup>25</sup>.

8. Ita enim ad praesupposita anthropologiae christianae, seu ad christianam visionem naturae humanae, vocationis coniugalis, matrimonialis foederis et communitatis vitae et amoris coniugalis sese revocans, Ioannes Paulus II in suis allocutionibus, ad Rotam Romanam directis, authentice declaravit quod causae incapacitatis psychicae consensum irritantis haud constituunt «leves psychopathologiae vel prorsus defectus ordinis moralis», quae igitur considerari nequeunt «tamquam probatio incapacitatis assumendi obligationes essentielles vitae coniugalis»<sup>26</sup>.

Conceptus enim normalitatis psychicae in luce anthropologiae christianae quoad validum matrimonium (c. 1058), secus ac illa normalitatis notio comparata «a scientiis psychologicis et psychiatricis», quae igitur «semper verificari debet in luce principiorum anthropologiae christianae, scientiam canonicam regentium»<sup>27</sup>, innititur in visione integrali personae

---

<sup>25</sup> *Ibid.*, 261: «[In primo luogo] nelle forme più gravi di patologia della terza dimensione è presente un certo grado di disorganizzazione nella struttura della persona, del self».

<sup>26</sup> JOANNES PAULUS II, *Allocutio ad Rotae Romanae Auditores coram admissos*, d. 5 februarii 1987, n. 5, in AAS 79 (1987) 1456: «[Ed, infine, considerano facilmente anche] le lievi psicopatologie o addirittura le deficienze di ordine morale come prova di incapacità ad assumere gli obblighi essenziali della vita coniugale».

<sup>27</sup> JOANNES PAULUS II, *Allocutio ad Romanae Rotae Auditores simul cum officialibus et advocatis coram admissos, anno forensi ineunte*, d. 25 ianuarii a. 1988, n. 4, in AAS 80 (1988) 1180: «[In ogni caso, qualunque sia la definizione (h. e. conceptus «di normalità») data dalle scienze psicologiche e psichiatriche], essa deve sempre essere verificata alla luce dei concetti dell'antropologia cristiana, che sono sottesi alla scienza canonica».

humanae in hoc mundo existentis, signatae oppositione inter Spiritum et carnem (Gal 5,17).

Haec enim notio normalitatis psychicae, quae vocari potest canonica, includit «etiam species moderatas difficultatum psychicarum», quae personae humanae occurrunt «tum in dimensione conscia, ubi vocatur in causa responsabilitas moralis, tum in dimensione subconscia, et hoc sive in vita psychica ordinaria, sive in illa signata levibus et moderatis psychopatologiis», hoc est «quae substantialiter non influunt in libertatem personae tendendi ad idealia transcendentia libere electa»<sup>28</sup>.

9. Eapropter Romanus Pontifex normam canonicam authentice interpretatus ad rem admonuit Iudices, qui eam casibus concretis applicare debent, quod vera incapacitas «praestandi consensum et realizzandi veram communitatem vitae et amoris», verificari potest, id est «opinabilis fit solummodo in praesentia severae formae anomaliae»<sup>29</sup>.

<sup>28</sup> *Ibid.*, n. 5, 1181: «[...] per il canonista, che si ispira alla suddetta visione integrale della persona, il concetto di normalità, e cioè della normale condizione umana in questo mondo], comprende anche moderate forme di difficoltà psicologica».

«[...] egli, però, resta interiormente vulnerabile e drammaticamente esposto al rischio di fallire la propria vocazione, a causa di resistenze e difficoltà che egli incontra nel suo cammino esistenziale] sia a livello conscio, ove è chiamata in causa la responsabilità morale, sive a livello subconscio, e ciò sia nella vita psichica ordinaria, che in quella segnata da lievi o moderate psicopatologie, che non influiscono sostanzialmente sulla libertà della persona di tendere agli ideali trascendenti, responsabilmente scelti».

<sup>29</sup> JOANNES PAULUS II, *Allocutio*, 5 februarii 1987, n. 7, 1457: «[Per il canonista deve rimanere chiaro il principio che solo la incapacità, e non già la difficoltà] a prestare il consenso e a realizzare una vera comunità di vita e di amore, rende nullo il matrimonio»; «Una vera incapacità è ipotizzabile solo in presenza di una seria forma di anomalia».

Ratio autem haec est, quia «in gravioribus formis psychopathologiae laeditur quoque capacitas subiecti tendendi ad valores in genere»<sup>30</sup>.

Sed memoratae allocutiones Pontificiae non continent tantum criterium interpretativum canonis 1095, quod vocari solet «mens legislatoris» (c. 17), ut quidam condendunt<sup>31</sup>. Iamvero «mens legislatoris non est significatio ab eo intenta, tunc enim non est criterium, sed ipsum obiectum interpretationis; sed habitudo in regimine»<sup>32</sup>, vel «dispositio animi», hoc est «profundioribus recti gubernii rationibus excitati et illuminati, qua in promulganda lege determinata» dirigitur<sup>33</sup>.

Quare merito ac iure retinetur hisce allocutionibus Summi Pontificis et Supremi Legislatoris, qui plenitudine suae potestatis vicariae aut ministerialis habet ius et mandatum interpretandi legem divinam naturalem et positivam atque omnes leges ecclesiasticas, inesse vim interpretationis authenticae (c. 16, § 1)<sup>34</sup>, atque magisterii Pontificii, cui «religiosum voluntatis et intellectus obsequium singulari ratione praestandum est» (LG 25).

10. Sed in allocutionibus Pontificiis criterium distinctionis inter psychopathologias graves et leves non proponitur, quia id genus indagatio ad competentiam scientiarum humanarum pertinet.

<sup>30</sup> JOANNES PAULUS II, *Allocutio*, 25 ianuarii 1988, n. 4, 1180: «... nelle forme più gravi di psicopatologia viene compromessa anche la capacità del soggetto di tendere ai valori in genere».

<sup>31</sup> Ita ex. gr. P.G. BIANCHI, *Incapacitas assumendi obligationes essentielles matrimonii*, Milano 1992, 98.

<sup>32</sup> F.J. URRUTIA, *De normis generalibus*, Romae 1983, 19.

<sup>33</sup> G. MICHIELS, *Normae generales iuris canonici*, vol. I, Parisiis-Tornaci-Romae 1949, 555-556.

<sup>34</sup> Ita c. BURKE, sent. 18 iulii 1991, Vayne Castren.-South-Benden., n. 3.

Quam ob rem hisce in causis in primis peritorum opera utendum est (cf. cc. 1680; 1574), prae oculis habito quod in foro canonico «indistincte loquitur de infirmitate et de anomalia psychica», ex quo conceptus infirmitatis mentalis, lato sensu acceptus, iuxta terminos nosographiae traditionalis includit non solum psychoses, sed etiam neuroses, perturbationes characteris, immaturitatem psycho-affectivam et psycho-sexualem, hoc est omnes anomalias psychicas atque conditiones psychologicas facultates psychicas inficientes<sup>35</sup>.

Periti enim iuxta praecepta psychiatriae et psychologiae dignoscere debent naturam anomaliae seu pathologiae psychicae eiusque gravitatem atque influxum sive in contrahentis capacitatem relationalem quoad communionem vitae coniugalis, sive in ipsius capacitatem quoad aliam essentialem matrimonii obligationem perpetuo ferendam, sicut verbi gratia quoad debitum coniugale necnon quoad prolem, fidelitatem vel perpetuitatem vitae consortii.

Hoc sane modo in peritorum probationibus innitetur solutio quaestionis essentialis, videlicet utrum causa naturae psychicae impossibilem reddiderit susceptionem alicuius essentialis obligationis matrimonialis propter impossibilitatem eius adimpletionis, an potius psychologice difficilem tantum.

11. Quamquam iuxta quosdam id quod probandum est hisce in causis «non est tam gravitas anomaliae psychicae, quam impossibilitas assumendi ex parte contrahentis, quae absoluta esse debet»<sup>36</sup>, haec ta-

---

<sup>35</sup> U. FORNARI, *Psicopatologia e psichiatria forense* (cf. nt. 7), 484.

<sup>36</sup> P.J. VILADRICH, ad c. 1095, in *Codice di Diritto Canonico. Ed. bilingue commentata*, vol. II, Roma 1987, 781: «... [ciò che

men suggestio difficile acceptari potest in iudiciali interpretatione incapacitatis psychicae. Idque potissimum, quia absque probatione gravitatis psychopathologiae demonstrari nequit ipsa exsistentia verae incapacitatis iuridicae, perpenso quod iuxta magisterium Pontificium nonnisi gravis species anomaliae psychicae talem incapacitatem inducere valet<sup>37</sup>.

Re quidem vera, prout supra indicatum est, solummodo in casu gravis psychopathologiae infici potest validitas vel ipsius actus consensus, vel suscipiendae essentialis obligationis.

Ad rem igitur melius illustrandam quaedam graves indicari possunt anomaliae, prout: «1) psychoses (ex. gr. schizophrenia, etc.), ubi capacitas relationis cum obiecto amittitur et cum realitate»; «2) casus graves personalitatis antisocialis»; «3) casus graviore narcissismi; notatur tamen quod defectus capacitatis relationis subiecti cum obiecto (in narcissista gravi), et defectus empathiae et responsabilitatis (in antisociali gravi), directe tangunt obiectum consensus vel electionem, ideoque personam reddunt inhabilem ad consensum vel ad electionem»; «4) deviationes (ex. gr. vera homosexualitas, etc.) et perturbationes sexuales, quae fundamentum suum habent in alterationibus motivationis personae (in sua totalitate considerata), tales quidem, quae in capacitatem intelligendi et volendi substantialiter incidunt vel quae obiectum consensus tangunt»<sup>38</sup>.

---

bisogna provare] non è tanto la gravità dell'anomalia psichica, quanto l'impossibilità di assumere del contraente, la quale deve essere assoluta».

<sup>37</sup> JOANNES PAULUS II, *Allocutio*, 5 februarii 1987, n. 5, 1456.

<sup>38</sup> L.M. RULLA, *Antropologia*, vol. I (cf. nt. 22), 142: «... i casi di patologia grave quali — in concreto —: 1) le psicosi (e. g. la



12. Cum in causis nullitatis matrimonii ob psychicam incapacitatem plures quoque relationes peritales interdum exhibentur, prout nostro in casu, quae inter se non conveniunt, quaestio oritur de ratione adhibenda in earum iudiciali aestimatione.

In primis Iudex praetermittere nequit considerationem praemissarum, quibus peritiae innituntur, videlicet utrum cum principiis anthropologiae christianae concordent, an potius super conceptiones immanentes ac deterministicas fundentur, excludentes nempe ipsam possibilitatem tendendi ad valores transcendentes indolis religiosae et moralis.

In eiusmodi enim visione personae humanae eiusque vocationis, sicut monet Ioannes Paulus II, «faciliter pervenitur ad identificandam normalitatem, relate ad matrimonium, cum capacitate accipiendi et praebendi possibilitatem plenae realizationis personalis in relatione cum coniuge»<sup>39</sup>, ex quo «normalitas fa-

---

schizofrenia, ecc.), dove si perde la capacità di relazione coll'oggetto e di "reality testing"; 2) i casi seri di personalità antisociale, i casi più gravi di narcisismo; si noti che la mancanza di capacità di relazione del soggetto coll'oggetto (nel narcisista grave) e la mancanza di empatia e responsabilità (nell'antisociale grave) toccano direttamente l'oggetto del consenso o scelta e dunque rendono la persona inabile al consenso o scelta; 4) le deviazioni (e. g. la vera omosessualità, ecc.) e/o disturbi sessuali che hanno la loro base in alterazioni della motivazione della persona (considerata nella sua totalità) tali che le capacità di intendere e di volere sono sostanzialmente intaccate e/o tali che toccano l'oggetto del consenso matrimoniale». Cf. etiam G. VERSALDI, *Elementa psychologica matrimonialis consensus*, in *Periodica* 71 (1982) 202 ss.

<sup>39</sup> JOANNES PAULUS II, *Allocutio*, 25 ianuarii 1988, n. 4, 1180: «[In tale visione ridotta della persona umana e della sua vocazione], si finisce facilmente per identificare la normalità, in relazione al matrimonio, con la capacità di ricevere e di offrire la possibilità di una piena realizzazione nel rapporto col coniuge».

ciliter fit mythus, et in ordine practico pervenitur ad negandam maiori parti personarum possibilitatem praestandi validum consensum<sup>40</sup>. Hoc autem oritur «ex indebita supraestimatione conceptus capacitatis matrimonialis», et obvenit quoties «peritus declarat incapacitatem contrahentis in relatione non ad capacitatem minimam, ad validum consensum sufficientem, sed ad speciem idealem plenae maturitatis in ordine ad felicem vitam coniugalem»<sup>41</sup>.

Itemque Iudicis est et rectitudinem ratiocinationis conclusionum peritalium inspicere, potissimum vero factorum veridicitatem, e quibus eadem conclusiones pendent. Si enim verbi gratia unus peritorum examine habito in diagnosi clinica gravem anomaliam psychicam excludit, alter autem super actis tantum eam exponit, ad coniecturas tantum sese revocans, potius primo credendum est quam alteri. Iudex enim non peritorum tantum conclusiones, etiamsi concordet, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendere tenetur (c. 1579, § 1).

13. Partes in causa, sicut ad rem Defensor Vinculi deputatus notat, ad vinculum matrimoniale infrangendum pugnant, pluribus quidem de causis petendi, quarum una reiecta est quoque recenti decreto

---

<sup>40</sup> *Ibid.*, n. 5, 1181: «[In assenza di una simile visione integrale dell'essere umano, sul piano teoretico] la normalità diviene facilmente un mito e, sul piano pratico, si finisce per negare alla maggioranza delle persone la possibilità di prestare un valido consenso».

<sup>41</sup> *Ibid.*, n. 9, 1183: «... l'equivoco può nascere dal fatto che il perito dichiara l'incapacità del contraente non in riferimento alla capacità minima, sufficiente per un valido consenso, bensì all'ideale di una piena maturità in ordine ad una vita coniugale felice».

nostri Turni, hoc est die 20 iunii a. 1989, relate ad incapacitatem psychologiam partis conventae diligentioris, quam tamquam in prima instantia iudicandam actor proposuit, sese opponente tamen Patrono ex officio eiusdem mulieris.

Ad caput vero incapacitatis actoris assumendi essentialia matrimonii obligationes quod spectat, quod in primo iudicii gradu, vigente adhuc vetere Codice, genericum ac iuridice indeterminatum nomen «anomaliae psychicae» habuit, iam initio animadvertendum est memoratum caput, non obstante ampla causae huius instructione, sufficientem probationem iudicio Patrum nondum assecutum esse.

Adiciendum est quoque accusatam in prima instantia «anomaliam psychicam» ex parte viri actoris pariter constituere potuisse causam gravis defectus discretionis iudicii (c. 1095, n. 2). Haec tamen hypothesis seposita est in litis contestatione, qua termini huius causae pressius definiti sunt. Idque factum est potissimum perspecto sententiae primi gradus tenore, quae quidem iuris principia de iudicii discretionem allegare videtur iuxta argumentandi modum sub vetere Codice vigentem (164-165), ut statim vero facta leviter attingit, potius personalitatis deordinationem actoris insequitur, et consequenter defectum eius capacitatis perseveranter sustinendi coniugii responsabilitatem una cum stabili relatione interpersonali (168), quam defectum discretionis circa essentialia coniugii iura atque onera. Quare sub hoc respectu tantum «anomaliae psychicae» interpretatio in hoc iudicii gradu facta est, ob quam Iudices Tribunalis primae instantiae matrimonii nullitatem declaraverunt.

14. Re quidem vera illud mirum ac incredibile esset, si vir actor, qui circiter per quinquennium gravia parochi officia nec non repraesentatoris legalis pa-

roeciae a Sacra Familia sustinebat, alioquin prout in similibus agunt ceteri presbyteri, antequam primus occursum inter partes obveniret, ad contrahendum tamen matrimonium discretione iudicii carere debuisset circa iura et officia coniugalia, de quibus ipsemet ratione muneris sibi commissi tenebatur instituere christianifideles, videlicet de significatione matrimonii christiani deque coniugum ac parentum christianorum officiis, adistentiam praebendo in praeparatione personali sponsorum ad novi status officia suscipienda, atque auxilium coniugatis praestando ad foedus coniugale fideliter servandum et ad sanctiorem in familia vitam ducendam (cf. c. 1063). Idque eo vel magis admittendum est, quia tempore nuptiarum gravis deordinatio psychica exercitium facultatis intellectivae et volitivae inficiens in actore, ut infra videbimus, recognita non fuit.

Incapacitas autem assumendi obligationes matrimonii essentielles, ut notum est, componi potest cum sufficienti iudicii discretione, quia ad obiecti consensus adimpletionem tantum se refert. Ceterum nec ipse actor tali compositioni incapacitatis sua ex parte obnititur, dum concedit hac in causa agi posse de ipsius «incapacitate transitoria assumendi essentielles matrimonii obligationes»<sup>42</sup>.

15. Attamen dubium oritur quoque circa firmitatem assertae incapacitatis, actori pariter imputatae, quoad suscipiendas obligationes matrimoniales essentielles, quae ex legis praescripto consensum matrimonialem invalidat (c. 1095, n. 3).

Iamvero vir actor, munere parochi fungens, qui

---

<sup>42</sup> *Acta*, 33: «... incapacidad transitoria para asumir las obligaciones esenciales del matrimonio».

ab anno 1971 partem conventam multo iuvenio-rem, quam ille, adiutricem et catechistam habuit, anno 1974 gravem crism vocationalem passus est ob quam totam suam vitam denuo ordinare statuit. Cum vero tale propositum adiutrici suae communicavit, videlicet «quod desiderat renunciare sacerdotio et reductionem ad statum laicale obtinere»<sup>43</sup>, et quidem «ob amorem suum» erga eam, Maria Theresia haec omnia audiens obstupuit. Sufficiens enim iam percipiebat fortem actoris indolem, quia revera se sentiebat «ar-repta eius personalitate subigente eiusque cognitionibus scientificis vexata», sed potissimum oppressa «eius forti personalitate»<sup>44</sup>. Insuper ex adumbrata a Iosepho et iam imminente consuetudine amatoria timebat «ne contra nos ira Dei verteret. Conieci tantum invocare ut Deus nobis ignosceret»<sup>45</sup>.

Actor tamen a proposito ducendi conventam in matrimonium non recessit. Mense decembri a. 1974 paroeciam in oppido H. dereliquit ad vitandam admirationem fidelium suae petitionis transeundi ad statum laicalem atque propositi matrimonialis.

Dein relatio sponsalicia inter partes, iuxta virum, insequenti anno 1975 incepta est, «quae tamen sub finem eiusdem anni interrupta est ob praesentiam primi illius sponsi, qui e Hispania advenit quocumque

---

<sup>43</sup> *Acta*, 10: «... que desea renunciar al sacerdocio y reducirse al estado laical».

Agitur in hac depositione de locutione adhibita in vetere Codice, hoc est «De reductione clericorum ad statum laicalem» (cc. 211 ss.).

<sup>44</sup> *Acta*, 10: «... atrapada por su personalidad avasallante y agobiada por sus conocimientos científicos, oprimida por su fuerte personalidad».

<sup>45</sup> *Acta*, 11: «... que podía volverse contra nosotros la ira de Dios. Solamente atiné a decir que Dios nos perdone».

relationem iterum inchoavit versus mensem februarium 1976»<sup>46</sup>.

16. Postquam Iosephus dispensationem ab onere coelibatus atque reductionem ad statum laicalem obtinuit, die 1 augusti a. 1976, de recepto rescripto Mariam Theresiam certiorum fecit et tempus celebrationis nuptiarum cum illa statuit in diem 24 novembris. Conventa enim propter difficultates, immo «ob iniurias et vexationes non solum abscedere debuit a communitate paroeciali, sed etiam ab ipsa civitate».

Attamen, nuptiis celebratis, vita communis producta est ad quattuor tantum menses, ut refert conventa, vel ad quinque menses, actore ita narrante, quippe qui adiungat: «reapse per tres menses tantum simul cohabitabamus», quo tempore «quinque vel sex tantum relationes coniugales habebamus»<sup>47</sup>.

Actor laetatus est uxoris praegnantia, quia prolem procreare desiderabat. Mulier tamen graviditate minime gavis, revera aegre ferebat eam et sustentabat conceptionem filii obvenisse ope violentiae carnalis ex parte viri.

Quamvis conventa iam brevi post nuptias ad paternam domum remeare voluerit, idque tandem perfecit, die 20 aprilis a. 1977, cum domum coniugalem deseruit, relicta marito notula discessus, hoc est se domum paternam esse reversuram. A parentibus enim mulier, iuxta actorem, in omnibus dependebat. Dein,

---

<sup>46</sup> *Acta*, 43: «... que se interrumpió a fines de ese año por la presencia de un primo de ella que había venido de España y ella lo recomenzó hacia febrero de 1976».

<sup>47</sup> *Acta*, 44: «Efectivamente habremos estado juntos unos tres menses»; «habremos tenido cinco o seis relaciones aproximadamente».

post nativitatem filii, mulier difficultates movit ne actor illum visitare posset.

Immo ipsamet conventa post reditum ex Hispania in Argentinam divortium assequi studuit, ut ab actore sese liberaret.

Quibus perpensis, certum apparet ex narratis a partibus factis difficulter deduci posse quaedam indicia, quae incapacitatem actoris assumendi onera coniugalia probare valeant.

17. Nec testes a partibus hac in causa inducti afferunt facta, quae existentiam alicuius anomaliae psychicae eiusque gravitatem actori tribuendam confirmare possint. Plerumque enim, si aliquid hac in re dicunt, solummodo opinionem vel persuasionem suam verbis manifestant.

Re quidem vera, sunt qui ad quaesitum: «Habuitne actor aliqua problemata psychica? Erantne gravia? Subiitne aliquam curam medicam? Et mulier? - ita respondent: «Mea opione nulla problemata psychica habuit»<sup>48</sup>, «Uti personam normalem eum semper vidi»<sup>49</sup>, «Videbatur mihi persona valde matura et admodum sibi cohaerens»<sup>50</sup>.

Alii vero vel ignorant quaestionem (Maria T.M. de P. 92; Albertus A.P.F. 95), vel putant partes non esse «personas abnormes», sed quod «ambae sunt personae conflictoriae»<sup>51</sup>.

Alii demum mutationem in actore anno 1974 no-

---

<sup>48</sup> *Acta*, 81, 83, 85, 89: «A mi juicio no tenía problemas síquicos» (Maria C.C.; Salvator F.A.; Osmar A.P.; Maria del C.F.A.).

<sup>49</sup> *Acta*, 72, 74, 77 (Iosephus F.S.M.; Celsa S.d.F.; Michael A.D.).

<sup>50</sup> *Acta*, 77 (Michael A.D.).

<sup>51</sup> *Acta*, 76 (Victor E.P.).

taverunt, hoc est quia «quodam tempore animadverti illum fuisse magis afflictum quam regulariter antea sese exhibebat»<sup>52</sup>, vel quia ille visus est ipsis «frigidus et in agendi modo omnia ad utilitatem suam vertens»<sup>53</sup>.

18. Nec relationes peritales argumenta decisiva suppeditant ad certitudinem moralem assequendam de actoris incapacitate quoad obligationes matrimonii essentielles.

Etenim director Instituti Psychologiae Pastoralis psychologus Carolus P. in relatione diei 22 septembris a. 1980 actori ad statum laicalem reducto tribuit «signatam personalitatem praepsychoticam cum manifestationibus decursus obsessivi et compulsivi, ac insuper neurosim anxietatis, impediens adequatam gestionem realitatis. Haec omnia cum personalitate typi paranoici connectuntur propter pessimam eius relationem cum figuris parentalibus»<sup>54</sup>.

At procul dubio factum derelictionis status sacerdotalis influit in opinionem periti circa affirmatam actoris incapacitatem stabiliter assumendi coniugii responsabilitates et onera his verbis expressam: «apparet paulum minus quam impossibilis libera et responsibilis determinatio ad promissum matrimoniale, praesertim quod spectat ad comprehendendam et as

---

<sup>52</sup> *Acta*, 80: «en algunos momentos lo noté más abatido que lo era él regularmente» (Maria C. de D.).

<sup>53</sup> *Acta*, 97: «que es frío y calculador en su modo de actuar» (Albertus J.P.).

<sup>54</sup> *Acta*, 101: «... una marcada personalidad presicótica con manifestaciones de manejo obsesivo-compulsivo, evidenciando, ahora, una neurosis de angustia que le obstaculiza un manejo adecuado de la realidad. Todo esto está estructurado sobre una personalidad de tipo paranoide, a partir de una muy mala relación con las figuras parentales».



sumendam eius totalitatem cum consequenti perseveratione decursu temporis»<sup>55</sup>.

Immo peritus etiam partem actricem habet incapacem ineundi matrimonium dum ita concludit: «d.na P. denotat personalitatem omnino immaturam cum basi hysterica, quae eam impeditur assumere cum libertate et responsabilitate promissum unionis matrimonialis»<sup>56</sup>.

19. Sed Theodorus S.D., medicus psychiatrus, directe inspecto viro actore, in sua relatione diei 26 maii a. 1981 ad contrariam pervenit conclusionem.

Namque iudicio periti «examen psychicum alterationes psychoticas personalitatis momento actuali non demonstrat». Et iterum: «non invenio elementa ut personalitas qualificari possit tamquam praepsychotica, sicut in memorata relatione exstat»<sup>57</sup>. Agnoscit quidem peritus actorem vixisse «profundam crissim existentialem his in annis, cum reductionem ad statum laicalem efflagitavit, in hac nempe periodo, quae convenit cum relatione sponsalicia et cum celebratione matrimonii cum actuali uxore», sed excludit in illo existentiam gravis anomaliae psychicae, quae capacitatem consensualem invalidaverit, quatenus «ex investigationis aestimatione non *scatent* eviden-

---

<sup>55</sup> *Acta*, 101: «... resulte poco menos que imposible una determinación libre e responsable del compromiso matrimonial, sobre todo en lo que hace a comprender y asumir una totalidad con la consecuente perseverancia en el tiempo».

<sup>56</sup> *Acta*, 102: «La S.ra P. denota una personalidad totalmente inmadura con una base histérica que le impide asumir con libertad y responsabilidad el compromiso de una unión matrimonial».

<sup>57</sup> *Acta*, 108-109: «el examen psíquico no evidencia alteraciones psicóticas de la personalidad en el momento actual»; «no encuentro elementos para calificar esta personalidad como prepsicótica, según figura en dicho estudio».

tiae circa anomaliam psychicam adeo gravem, quae momento nuptiarum capacitatem decisionalem ad contrahendum invalidare potuerit»<sup>58</sup>.

Non ignorat quidem peritus difficultates, quas actor in vita sacerdotali habuerit, praesertim quod spectat ad «relationes interpersonales», sed ex hoc facto minime concludit de eius vera incapacitate nectendi relationes interpersonales indolis matrimonialis.

Pars actrix, prout notat peritus, habet quidem «structuram personalitatis immaturae cum certis notis hystericis», sed minime invalidantem capacitatem consensualem.

Inde, sicut peritus probet, examen psychiatricum partium «non probat in eis praesentiam anomaliarum psychicarum talis gravitatis, quae tempore nuptiarum detraxerint eis libertatem ad praestandam decisionem contrahendi unionem coniugalem»<sup>59</sup>.

20. Conclusiones peritales supra relatae difficulter infirmari possunt relatione peritali super actis tantum confecta a Prof. Didaco D.C.

Peritior, attentis peritiis praecedentibus, in primis excludit actorem affici paranoia, quae designatur «defectu substantiali realitatis obiectivae, concurrenti in formationem cogitationis delirantis, substantialiter constituentis essentiam psychopathogenam et clinicam huius infirmitatis. Sed actoris cogitatio est clara,

---

<sup>58</sup> *Acta*, 108: «... del estudio analizado no surgen evidencias de una anomalía psíquica lo suficientemente importante como para anular su capacidad de decisión para contraer matrimonio en su momento».

<sup>59</sup> *Acta*, 110: «... no evidencia la presencia, en ninguno de los dos, de anomalías psíquicas de la importancia suficiente como para considerar que careciende libertad para la decisión de contraer enlace en el momento de su casamiento».

sibi cohaerens, constans, etc. Paranoia autem classica, haec nempe de tempore Kraepelin, de qua, ut supra diximus, Iudices primae instantiae locuti sunt (Acta, 164 ss.), hac in causa invocari nequit (admisso quod talis paranoia adhuc exstaret), hoc est in casu actoris R., potissimum quia in hoc subiecto, praetermissa omni incertitudine diagnostica, verus status delirans procul dubio deest, utcumque, non agitur de vera psychosi, sicut omnes periti concordant»<sup>60</sup>.

Nihilominus peritior putat actorem esse affectum anomalia personalitatis, immo «compleSSIONE anomaliarum personalitatis», quae ipsius iudicio ducunt «versus stilum paranoici, vertentem una ex parte ad statum defectivum personalitatis, qui in ambitu sic dictarum psychopathiarum comprehenditur, propensum vero altera ex parte ad designationem paranoidem personalitatum psychopathicarum», quae tamen «non habent nisi relationes remotas cum citata paranoia»<sup>61</sup>.

<sup>60</sup> *Acta*, II, 15: «... per un difetto sostanziale delle realtà oggettive, quindi per la formazione di un pensiero delirante — che è lucido, coerente, irremovibile, ecc. — che costituisce in sostanza l'essenza psicopatogena e clinica della malattia. È la paranoia classica, dei tempi di Kraepelin, di cui — come si è accennato — hanno parlato i Giudici del processo di primo grado (cf. Atti, 164 ss.) e che non può essere chiamata in causa (ammesso che esista ancora una paranoia di questo tipo) nel caso di R., soprattutto perché in questo soggetto, a parte ogni incertezza diagnostica, manca sicuramente un vero stato delirante e, comunque, non si ha a che fare con una vera psicosi, come del resto tutti i periti hanno concordato».

<sup>61</sup> *Acta*, II, 15: «... verso lo stile del paranoico e che orienta da una parte verso quello stato difettuale della personalità che da tempo viene compreso nel quadro delle cosiddette psicopatie, e dall'altro verso la caratterizzazione paranoide di queste personalità psicopatiche che non hanno che lontani riferimenti con la citata paranoia».

21. Ultrosum inquirendo peritior omnes tractus personalitatis actoris in quadrum componit «personalitatis paranoicae» propter sequentes rationes: «ob exiguam penetrantiam ideoaffectivam interpersonalem, atque ob defectivam adhaesionem realitati, in qua ipse ducebat vitam ante et tempore nuptiarum»<sup>62</sup>.

Sed ad diagnosim iterum reversus, et ad consequentias assertae anomaliae, peritior putat deordinationem personalitatis actoris considerari posse vel «personalitatem psychopathicam cum distinctis tractibus paranoicis et sociopathicis ob difficultates consensionis in ambitu relationum interpersonaliū et ob exiguam capacitatem solvendi, modo rationali, essentialia problemata vitae realis una cum adequata espressione actus voluntatis», vel etiam, propter «deficientiam voluntatis», actorem enumerari posse inter eos qui indicari solent «tamquam psychopathici sociopathici cum tractibus paranoicis»<sup>63</sup>.

Gravitatem autem anomaliae peritior non deducit, prout psychologus P., ex posita diagnosi personalitatis praepsychoticae, sed ex circumstantiis quae subsecutae sunt occursum actoris cum parte conventa. Hic enim, sicut notat peritior, «cum obstaculis sui characteris et personalitatis adoriri debet problema

---

<sup>62</sup> *Acta*, II, 16-17: «... della personalità paranoicale, per la sua rigidità ideativa, la scarsa penetranza ideoaffectiva interpersonale, la defettuale aderenza con la realtà in cui egli viveva prima e al tempo del matrimonio».

<sup>63</sup> *Acta*, II, 17-18: «... come una personalità psicopatica con spiccati tratti paranoicali e sociopatici, difficoltà di intesa nel settore dei rapporti interpersonali e scarse capacità di risolvere, con un'adequata espressione dell'atto della volontà, a risolvere nel modo più razionale i problemi essenziali della vita reale»; «... per il deficit della volontà ... come psicopatici sociopatici con tratti paranoicali».

“diabolicum” amoris instaurati cum sua cooperatrice (admodum iuniore ipso), una cum contorquenti paternitate, et non minoris momenti decisionem renuntiandi vitae sacerdotali et sese ligandi in matrimonium cum electa muliere in uxorem»<sup>64</sup>.

Quare potius ex gravitate circumstantiarum, quam ex peculiaribus personalitatis defectibus, qui iudicio peritioris ob rerum tantum adiuncta in peius mutaverint, ipse deducit laesionem capacitatis liberae determinationis in actore tempore contractus.

22. Sed difficulter admitti potest in actore gravis defectus libertatis internae, qui validitatem consensus matrimonialis in discrimen adducere potuerit tempore celebrationis nuptiarum.

Re quidem vera, assertioni peritali de actoris difficultate «congruenter solvendi actu voluntatis liberae et autonomae essentialia problemata ex peculiari existentia subiecti derivantia», apte subtiliterque respondet Defensor vinculi deputatus. Cum enim versemur in rebus quae ad scientiam psychiatricam vel psychologiam directe non pertinent, is ad rem contendit problemata vitae resoluta optime fuisse ab actore, etiamsi ad felicem exitum adducta non essent propter obstacula ex parte mulieris conventae, quae iam in itinere nuptiali respuit convinctum coniugalem, separationem dein voluit, negavit marito esse cum filio et divortiare conata est per fas et nefas<sup>65</sup>. Idque nec ipse peritior ignorat, hoc est «quod in formationem obsta-

---

<sup>64</sup> *Acta*, II, 22: «... con gli “handicaps” del suo carattere e della personalità deve affrontare anche il problema “diabolico” dell’amore con la sua collaboratrice (molto più giovane di lui), una shockante paternità, e niente meno che la decisione di rinunciare alla sua vita sacerdotale e legarsi in matrimonio con la donna scelta come moglie».

<sup>65</sup> *Animadversiones*, 11.

culorum indolis psychologicae, volitivae, discriminativae, criticae et relationalis in actore haud dubie influxum exercuerat structura personalitatis partis conventae».

Insuper ex derelictione status vitae sacerdotalis modo quodam automatico deduci non potest actoris incapacitas «nectendi relationes interpersonales stabiles ac duraturas», eoque minus interdum asserta «morositas et conflictatio psychosexualis». Idque eo vel magis quod antenuptiale commercium sexuale a peritioribus partibus ascriptum revera locum non habuit, ipsis partibus unicam immo copulam praenuptialem firmiter negantibus.

23. Vir actor, sicut psychiater Theodorus S.D. testatur, «nunc munere docentis apud Universitatem Technologicam Nationalem fungitur quodque absque inconvenientiis persolvit». Sed iudicio huius periti, sicut iam supra dictum est, actor tempore nuptiarum gravi anomalia psychica affectus non erat, ut incapax eliciendi validum consensum matrimonialem declarari posset.

Iamvero opinio peritoris Prof. Didaci D.C. de conditione psychica actoris serio ingravescenti tempore praenuptiali propter elementa extrinseca in actis sufficienter non fundatur, ideoque convincere non potest. Actor enim amorem exortum erga conventam minime putavit «problema diabolicum», vel suam paternitatem habuit umquam «contorquentem», quia ipse contrarium tenet: «ergo filium desideravi».

Quin etiam, haud perturbatum statum psychicum actoris ante nuptias optime confirmat relatio peritalis super eius persona exarata in ordine ad obtinendam dispensationem ab onere coelibatus, die 15 martii a. 1976, id est octo mensibus ante celebrationem matrimonii cum conventa.

Haec vero relatio nullum signum revera gravis anomaliae psychicae in actore invenit dum eius personalitatem ample describit. At, si id temporis detegi potuissent gravia quaedam signa alicuius abnormis conditionis psychicae tunc oratoris, memorata relatio minime auctoritatem ecclesiasticam de hoc celavisset, cum talia signa argumentum maioris momenti constituerent pro dispensatione obtinenda.

24. In memorata autem relatione personalitatis actoris haec exstant vestigia: «intelligentia generalis valde excitata et gradus superioris, velox et acuta in ratiocinationibus. Cohærentia logica notatur in omnibus cogitationibus, quas cum tranquillitate et profunditate manifestat tamquam fructum reflexionis personalis ex ultimis annis». «Itemque affectus suos in forma directa et cum plena dispositione ad communicationem ostendit, exhibendo seipsum, sicut dicit, magis eundem et magis dominantem semetipsum. Cum structuram personalitatis fortiter rationalem habeat atque distinctam illo “esse debet”, factum mutationis vitae et recognitio minus rigida affectuum suorum, profundum et distensorium occursum cum semetipso causare debuit»<sup>66</sup>.

Et addit relationis auctor: «perdurante colloquio

---

<sup>66</sup> *Addenda*, 1: «Inteligencia general muy despierta y de un nivel superior; muy rápida y aguda en los razonamientos»; «Coherencia lógica en todos sus pensamientos que manifiesta con tranquilidad y profundidad, fruto de la reflexión personal de los últimos años»; «Manifiesta sus sentimientos en forma directa y con plena disposición para la comunicación, sintiéndose, según dice, más él mismo y más dueño de sí mismo. Teniendo una estructura de personalidad fuertemente racional y marcada por el “deber ser”, el hecho del cambio de vida y un control mucho menos rígido sobre sus sentimientos, debe producirle un profundo y distensionante reencuentro consigo mismo».

sensus infensos non aluit, rancorem erga praeteritum vel erga personas manifestantes, e contra, magnum temptamen comprehensionis detegi poterat etiam erga formas disciplinares et institutionales Ecclesiae. Praestat vitam socialem compositam, sine ligamentis vel complexibus, apertam, quae praeteritum assumit et in futurum se proiectat. In suis principiis personalibus et moralibus valde firmus manet». Immo inter causas pro obtinenda dispensatione actor tunc manifestavit quoque «determinationem ineundi matrimonium proximis mensibus»<sup>67</sup>.

25. Sed Patronus ex officio partis conventae diligentioris pro munere suo diligenter adimplendo contendit memoratam peritiam exaratam fuisse post unum tantum colloquium et sine ullo «test» personalitatis, atque sine possibilitate pressius cognoscendi personalitatem Iosephi R. Inde relatio eiusmodi ipsius iudicio minimi valoris scientifici aestimanda est. Insuper in peritia apparet animus oratoris ducendi in uxorem conventam «quae erat victima coactionis moralis ab ipso R. in eam exercitae». Idque eo vel magis ipse putat, quia peritia psychologica coram magistratura civili bonaerensi exarata a lic. Maria A.C.S., die 9 maii a. 1983, invenit in actore «conflictationem cum propria integratione» necnon «sensus dissolutionis physicae et psychicae», atque comprobavit agi de viro «admodum impulsivo et aggredienti cum possibilitate

---

<sup>67</sup> L. c.: «Non hubo en toda la entrevista sentimientos agresivos o que denotaran rencor hacia el pasado o hacia personas; al contrario se podía detectar un gran esfuerzo de comprensión también hacia las formas disciplinarias institucionales de la Iglesia. Refiere una vida social ordenada, sin trabas ni complejos, abierta, que asume el pasado y que quiere proyectar al futuro con prudencia. Es muy firme en sus principios personales y morales».



agendi rationis cum exigua temperatione», videlicet praedito personalitate «cum characteriacis paranoicis et indiciis severae perturbationis pathologicae et cum possibilitate irruptionis psychoticae»<sup>68</sup>.

Utrumque memorata superius peritia ad fines processus civilis confecta omnia excogitare non valuit. Ceterum nemo ex peritis in processu canonico ignorat tractus obsessivos et paranoicales in personalitate actoris. Nihilominus, sicut iam supra relatam est, morali cum certitudine non constat de gravitate anomaliae psychicae in viro actore tempore nuptiarum, quae eum incapacem reddiderit eliciendi validum consensum matrimonialem, videlicet ob laesionem libertatis internae eoque minus ob incapacitatem assumendi essentielles matrimonii obligationes.

Iamvero, causa separationis et infelicis exitus nuptiarum alia erat quam accusata viri anomalia psychica. Ipsa conventa hac in re enim sese remittit iudicio P. Olivera, hoc est «quod inter nos abyssale discrimen exstitit, videlicet ratione culturae, generis atque aetatis»<sup>69</sup>.

ANTONI STANKIEWICZ

---

<sup>68</sup> *Addendum Restr. resp.*, «de características paranoides con indicadores de una severa perturbación patológica y posibilidades de un derrumbe psicótico».

<sup>69</sup> Pars dispositiva sententiae quoad omnia capita nullitatis ita exponitur: «Negative ad utrumque, seu non constare de matrimonii nullitate, in casu: 1º ob incapacitatem actoris adsumendi essentielles matrimonii obligationes; 2º ob metum mulieri conventionae diligentiori incussum».